

terram copiosam & plures insolubiles graves particu-
 las dimittere. Facilius res succedit cum salibus ve-
 getabilum fixis, quæ aliquoties ignita & resoluta
 magnam quantitatem suppeditant terræ insolubi-
 lis. Difficilius magis est, terrestres talismodi
 crassas particulas monstrare in Salibus fluidis & vo-
 latilibus, utpote quæ vehementissimo ætheris mo-
 tu ac circulatione vel in igne vel fermentatione,
 qua tractata fuerunt, existente ab involucris illis
 terrestribus majorem in partem liberata sunt: Suffi-
 cit tamen monstrare, etiam in illis latitare particulas
 crassioris & terrestris texturæ. Notum est campho-
 ram, quæ nil nisi purissimum Sal volatile oleosum est,
 totam per combustionem resolvi in fuliginem niger-
 rimam insipidam. Salia volatilia animalium in forma
 sicca apparentia nil nisi terræ subtiliores sunt, sale æthe-
 reo, fluido volatili, particulisque sulphureis, ramosis
 imprægnatæ. Hinc patet ratio, cur sp. salis ammoni-
 ci, cum calce viva & hæmatite paratus, non ascendat
 in forma sicca, bene autem cum sale quodam alcalino
 fixo, quippe quod subtiliorem terrestrem texturam
 facile sublimabilem custodit, quam fixa corpora terre-
 stria. Soliditas itaque Salium volatilium dependet à
 solidiori terrâ, quæ domicilium præbet ipsis particulis
 ætheris, volatilibus, salinis fluidis. Liquores Salium
 acidi corrosivi ex salibus vehementissima ignis tortu-
 ra expressi, quamvis in statu fluido sint, & à terræ so-
 lidiori nexu liberati, tamen subtiliores particulas terre-
 stres adhuc recondunt, quod palam fit experimento:
 dum nimirum Spiritus Vitrioli, vel Salis, cum spir. Vini
 rectificatissimo miscetur, & destillatur, ad siccitatem,

ma-